



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

32. Tres colores in iride.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Virgineam Verbi carnem circumfluus humor
Indicat, & croceo Pncuma colore fluit.

SYMBOLUM 30.

Tres in speculo per reflexionem vultus.

Tres item soles aut, vultus in puteo; cùm tamen unicus sit.

IN speculo vultum si contemplere; reflexum
(Quod fors miraris) terque quaterque vides.

In puteo aut urnâ pariter tres inspice soles,
Quos sol oppositis exprimit unus aquis.

Extorquet natura suis sic obvia signis,
Supremæ Triados vique viâque fidem.

In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Est Theologicum axioma.

SYMBOLUM 31.

Tres soles in parelijs apparent & tamen unicus est sol.

OB radios quandoque vides in nube reflexos
Tres soles, verùm fallere sæpe solent.

Tres oculis parent, sol est tamen unicus author,
Aëreis figens lumina Phœbus aquis.

Est sol in trinis solaribus orbibus unus,
Tres subsistentes in Deitate pares.

SYMBOLUM 32.

Tres distincti colores in iride.

ASpicis imbriferos & pacti fœderis arcus;
Placatæ Triadis, symbola pacis habent.

Ordine digestos roranti in nube colores,
Tres lux opposito sole reflexa parit.

Personæ

Personæ variant, majestas unica Trinis,

Unica sic arcu lux tricolore micat.

Misticè juxta S. Amb. lib. de arcâ & Noë cap. 27. Iris est clementia Dei, quæ primò quasi arcus contentus, sed carens sagittâ, per aduersa quæ immittit, magis terrere vult, quàm ferire. Secundò Iris versicolor recreat, & imbres varios in terram effundit, ita facit & misericordia Dei. Tertiò Iris est semi-circulus in nostro hemi-sphærio tantû apparens: ita & Dei misericordia tantum apparet in hac vitâ, justitia verò in alterâ.

SYMB. 33. de eodem

Roriferis fulget tricolor sub nubibus arcus,
Cæruleus, viridis, purpureusque nitet.

Est ætas æterna Patris signata virenti,

Cæruleo in terris lividus ore Deus.

Ignæus at Flamen Divis qui pectora flammis

Purpurat, en rubeâ luce notatus Amor.

SYMBOLUM 34.

Tria sunt causa motûs sursum

Natura, violentia, artificium.

Decreto Triadis lectam super aëra sedem
Ignea nativâ vis levitate petit.

At lapis impressâ virtute per aëra fertur,

Arcu vim fundâ, vel sibi dante, manu.

Flaminis in puras manant ita flumina mentes,

Fons velut occultis exilit arte tubis.

SYMBOLUM 35.

Tres diei partes.

Auras lux oriens concentibus implet, & aures,
(a) Est veneranda Trias laudibus orta tuis.

In-